

# Die ältesten Jahrbücher Engelbergs

Autor(en): **Tanner, Placidus**

Objektyp: **Article**

Zeitschrift: **Der Geschichtsfreund : Mitteilungen des Historischen Vereins  
Zentralschweiz**

Band (Jahr): **8 (1852)**

PDF erstellt am: **24.07.2024**

Persistenter Link: <https://doi.org/10.5169/seals-110509>

## **Nutzungsbedingungen**

Die ETH-Bibliothek ist Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Inhalten der Zeitschriften. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern.

Die auf der Plattform e-periodica veröffentlichten Dokumente stehen für nicht-kommerzielle Zwecke in Lehre und Forschung sowie für die private Nutzung frei zur Verfügung. Einzelne Dateien oder Ausdrucke aus diesem Angebot können zusammen mit diesen Nutzungsbedingungen und den korrekten Herkunftsbezeichnungen weitergegeben werden.

Das Veröffentlichen von Bildern in Print- und Online-Publikationen ist nur mit vorheriger Genehmigung der Rechteinhaber erlaubt. Die systematische Speicherung von Teilen des elektronischen Angebots auf anderen Servern bedarf ebenfalls des schriftlichen Einverständnisses der Rechteinhaber.

## **Haftungsausschluss**

Alle Angaben erfolgen ohne Gewähr für Vollständigkeit oder Richtigkeit. Es wird keine Haftung übernommen für Schäden durch die Verwendung von Informationen aus diesem Online-Angebot oder durch das Fehlen von Informationen. Dies gilt auch für Inhalte Dritter, die über dieses Angebot zugänglich sind.

## B.

# Die ältesten Jahrbücher Engelbergs.

---

Mitgetheilt von Placidus Tanner, Abt.

---

In unserer an Handschriften nicht unwichtigen Bibliothek steht ein pergamener Codex in gr. fol., welcher am Rücken das Abzeichen I.  $\frac{1}{8}$ . trägt. Er enthält die Chroniken vom ehrwürdigen Beda <sup>1)</sup>, Abt Regino, Herman dem Lahmen in der Reichenau, Berchtold seinem Schüler, und dem Mönchen Bernoldus aus St. Blasien. Die Handschrift rührt aus der Zeit des heil. Abts Frowin, aus dem zwölften Seculum, und dürfte ihr ursprüngliches Heimathland in St. Blasien haben. Die zehn ersten Blätter des Codex sind für die Epacten-Tafeln bestimmt, und je die leeren Räume des Calendariums (an. 1. p. Chr. bis 1512) mit Handschriften aus verschiedenen Zeitepochen am Rande ausgefüllt.

Diese Ausfüllungen beginnen mit dem Jahre 398 <sup>2)</sup>, und gehen von derselben schönen Hand <sup>3)</sup> fort bis 1175 <sup>4)</sup>, also drei Jahre vor Abt Frowins Tod. Die folgende Hand von 1178 an ist schon verschieden von der ursprünglichen, so daß angenommen werden darf, verglichen mit andern Manuscripten, und mit Urkunden des

---

1) De sex Mundi etatibus secundum hebraicam veritatem.

2) Sanctus ambrosius episcopus migrauit ad dominum pridie idibus Aprilis.

3) Vergl. Versuch einer urkundlichen Darstellung des reichsfreien Stiftes Engelberg, im 12 und 13 Jahrh. S. 36 — 38. Lucern bei Gebr. Häber 1846. 8.

4) Pridie Kl. Maii terre motus factus est prima hora noctis.

Archivs, der Eintrager bis zu Ende sei jedesmal eine gleichzeitig lebende Person gewesen <sup>1)</sup>, was den Inhalt um so interessanter macht.

Die Eintragungen sind entweder merkwürdige Ereignisse aus der Geschichte des Römischen Reichs, oder aber speciell aus den Erlebnissen unsers Benedictiner-Gotteshauses (einer Pflanzung nicht aus Einsiedeln, sondern von St. Blasien <sup>2)</sup>) und seiner Vorsteher. Wir möchten selbe gerne mit dem Namen „die größern und die kleinern Engelberger-Annalen“ belegen. Jene umfassen (Fol. 2 b. — 10 b.) Reichsangelegenheiten sowohl (Reichsannalen), als chronikwürdige Denksachen des Klosters Engelberg, nach der Zeitrechnung geschichtet, von 398—1546. Diese (Fol. 1 b. — 2 b.) die Reihenfolge und das Wirken der hiesigen Klosterstände, von einem unbekanntem Conventualen unter Abt Ulrich Stalder von Bern an St. Mathia Tag 1484 eingetragen, theils den größern Annalen entnommen, theils aus den Documenten des Klosterarchivs ergänzt.

Von den größern Jahrbüchern gedenken wir aber hinsichtlich der Reichsangelegenheiten nur einiges Beachtenswerthe zu bringen, vollständiger werden die Historica des Gotteshauses hier, und bei den kleinern Annalen gegeben werden. Die eigentlichen Reichsannalen dürfte ein folgender Band des Geschichtsfreundes voreröffnen.

## 1.

## Die größern Engelberger-Annalen.

**Fol. 8 a.** MCXX hoc cenobium montis Angelorum Chovnradius, fundator ejus, vir ingenuus, et sanctus Adilhelmus Abbas hic primus sub papa Calisto II<sup>o</sup> regnum Romanum imperante Heinrico III<sup>o</sup> ad honorem sanctæ Dei genitricis semper virginis Mariæ Kal. Aprilis feria V<sup>a</sup> auspicientes inceperunt feliciter. Postquam veró idem Chovn-

<sup>1)</sup> Ueber diesen Punkt wollen wir im Anhange ein merkwürdiges Schreiben des gelehrten P. Mauriz Hohenbaum van der Meer aus Rheinau an den vortrefflichen Subprior in Einsiedeln, P. Fintan Steinegger, folgen lassen.

<sup>2)</sup> Vergl. denselben Brief im Anhange.

radus privilegia et omnia huic loco proficua pro suo posse contulit, cuncta spernens terrena nudus Christum secutus maximâ hic inter fratres fratrum minimus vixit obedientia et humilitate sub prædicto sancto Abbate, qui adhuc hodie infirmis sepulchrum suum visitantibus solet crebrius oppitulari. Post hunc sanctum Adilhelmum, non dico Abbates, sed potius, si licet dici, ab Abbates tres unus post alterum uiciis magis quam officiis se sequendo succedentes, se locumque istum tamen paucis annis male tractaverunt. Jstis veró miseris pro merito misere de medio sublatis miserans Dominus misertus claustrum huic misit sibi de cælo sancto suo Frowinum Abbatem II. virum moribus conspicuum, sapientia clarum, quod libri ejus luculenter elaborati probant, qui servantur apud nos.

MCXXV. Chovnradius fundator huius loci obiit.

MCXXXI. Sanctus Adilhelmus noster hic primus Abbas obiit.

MCLXXVIII. Dominus Frowinus venerabilis Abbas noster II. 8b. decessit. Cui religiosus vir Berctoldus mox in regimine successit.

MCLXXXVII. Berhtoldus Abbas noster III obiit. Hic sobrius ad se, juste ad homines, pius ad Dominum, prudens virgo permanens, Dei genitricis semper virginis Mariæ nostræ patronæ fidelis dispensator et minister vixit. Nam sacra Missarum solemnia cottidie et quod magis mirandum sit etiam in ipso obitu sui die quam devotissimè celebravit. Hunc gratia divina sedulo secretis revelatis sibi causis prosecuta, benigno favore multis mortalium eum commendabilem reddidit. Denique ut multa alia relatu et miraculo digna præteream, hoc solum memorabo, quod diem mortis Friderici imperatoris in Armenia defuncti nobis inde stupefactis hic prophetando prædixit.

(Ad Annum nempe 1187. hæc de obitu Friderici regis notata leguntur in Annalibus his:

„Luctuosa nimis discordia omnibus christianis inter regem  
 „Jerosolimorum et Saladinum Damasci regem oritur; que peccatis  
 „nostris exigentibus, eo usque processit ut certamine summis viri-  
 „bus à christianis et sarracenis facto heu exercitus christianorum  
 „rege, episcopis, templariis et cæteris baronibus interfectis, sancta  
 „crux sit capta; moxque saladinus victor factus Jerosolimam invasit,  
 „ecclesias circumquaque destruxit. Fridericus imperator crucem ac-  
 „cepit, episcopi plures, principes multi cruce simul accepta iter suum  
 „direxerunt per Bulgariam, magnisque laboribus brachium sancti

„Georgii transfretaverunt, ibi turcis eos fatigantibus per montium  
 „devia loca venerunt Iconium, Jllaque expugnata in terram Arme-  
 „niorum devenerunt. Quibus eos pacifice suscipientibus imperator  
 „refrigerandi et exercendi gratia fluvium natando ingressus est, ex-  
 „temploque viribus deficientibus proch dolor! ipsis aquis suffoca-  
 „tus interiit.“<sup>4)</sup>

MCCXXIII. Henricus Abbas noster IIII. obiit. Sub hoc pru-  
 denti patre vorax flamma ultrix peccatorum nostrorum omnem lig-  
 neam machinam nostri claustrum depascens consumpsit, quam in  
 melius prout potuit restauravit. Insuper pro turri campanaria et  
 campanis dependentibus in ea, pro cruce majori argentea auro  
 superfusa, quæ non minus quàm LXXX<sup>a</sup> sacrarum reliquiarum partes  
 sibi inclusas continet, pro vinetis in Burgundia, et pro omnibus  
 nostris tam corporis quàm animæ utilitatibus pius et inpiger col-  
 laborator fideliter desudavit.

9 a. MCCXLI Henricus II. Abbas noster quintus piæ memoriæ  
 obiit.

MCCL Wernherus Abbas sextus piæ memoriæ obiit.

MCCLXVII. Waltherus Abbas propter suam negligentiam ab  
 Ordinario et a Fratibus deponitur.

MCCLXXVI. Waltherus Abbas septimus <sup>1)</sup> bonæ memoriæ obiit.  
 Qui beatissimæ Virginis Mariæ nostræ Dominæ et patronæ bonus et  
 fidelis dispensator, gubernator et minister tempore suo existebat,  
 qui et Domino concedente sub Eberhardo in Christo Episcopo no-  
 stro Constantiensi felici memoriæ et per eum nostro Monasterio  
 laboriosè ecclesiam Stanensem obtinuit perpetualiter permanere.

9 b. MCXCIII. Arnoldus Abbas obiit vir totius prudentiæ et util-  
 limus gubernator sui gregis.

MCCXCVIII. Ulricus Abbas obiit.

Anno milleno ter centeno quoque seno hic in pyr vertit temp-  
 lum Conversio Pauli.

MCCCXVII. Rudolfus piæ memoriæ Abbas obiit. Jste venera-  
 bilis Domnus et prælatus dignissimus tempore suo nostro Monasterio  
 utilissimè præfuit, scilicet spiritualia et temporalia fideliter dispen-  
 sando. Nam quasi alter fundator pene omnes structuras à funda-  
 mento restauravit. Flamma enim ignis à quodam maligno Monacho

<sup>1)</sup> Octavius. (Neuere Sand.)

nostro subdiacono super laqueare portata omnem ligneam machinam Oratorii combussit, et aeramenta campanarum multaque alia ecclesiae ornamenta consumpsit. Sed praelibatus bonus heros chororum nostrum ampliavit, et campanas multò meliùs restauravit, omnes etiam officinas inferioris claustrì dilatando et meliorando destruxit et reparavit.

MCCCXXV hoc anno velatae sunt in Monasterio nostro in die sanctae Verenae virginis CXL virgines minus una, praesente Domina Agnete quondam regina Ungarorum, filia gloriosi Domini Alberti regis Romanorum cum multis honestis personis et populo multo. Et ecclesia nostra dedicata tunc est cum quinque Altaribus. Haec omnia sunt facta sub expensis praedictae Dominae nostrae reginae, et multa alia larga beneficia ab ipsa nobis multotiens exhibita.

MCCCXXXI. Waltherus Abbas III. hujus nomine regimen Abbatiae resignavit. Wilhelmus Abbas eodem successit die.

MCCCXL Opidum Lucernae in die Petri et Pauli totaliter ex una parte fluminis igne consumptum est, et domus nostra funditus. <sup>1)</sup>

MCCCXLV velatae sunt nonaginta virgines Dominica qua cantatur Ad te levavi, ab Archiepiscopo H. Avercensis ecclesiae.

MCCCXLVII. Wilhelmus Abbas prima die Martii regimen sua sponte resignavit. Eodem die electus fuit concorditer Henricus Abbas III. hujus nominis.

MCCCXLVIII. facta est mortalitas maxima citra et ultra mare.

MCCCXLVIII. hoc anno facta est pestilentia et mortalitas magna et maxima in valle ista, ita ut plus quam viginti domus permanerent vacuae et sine habitatore. Eodem anno a festo natiuitatis Mariae, usque ad festum Epiphaniae mortuae sunt de claustrò Dominarum nostrarum centum et sedecim, inter quas primo obiit Katerina magistra, circa medium Venerabilis Domina Beatrix Cometissa de Arberg quondam magistra, et crastino Innocentium Mechtildis de Wolfenschiessen magistra, et de nostris duo sacerdotes, et quinque scolares; una die VII. sepultae sunt Dominae, et una die XVI. funera de subditis.

MCCCLII obsessa fuit civitas Thuricensis a Duce Austriae Alberto.

<sup>1)</sup> Es lag an der Gefe. Urk. 16 März 1314. 26 Herbstm. 1391. (Stadtarchiv Lucern.)



MCCCLIX Henricus Abbas regimen resignavit. Nicolaus autem eligitur in Abbatem.

MCCCLX Nicolaus Abbas obiit.

10 a. MCCCLXI. Ruodolfus Abbas per reverendum in Christo patrem ac Dominum Heinricum episcopum Const. confirmatur.

MCCCLXII. Ruodolfus Dux Austriæ ecclesiam Kussnach monialibus donavit.

Domus nostra in Turego comparatur ac melioratur pro CLX lb.

MCCCLXIII. H. Const. episcopus XXX moniales velavit. Curia dicta Engi comparatur pro CCCCXXV lb.

MCCCLXV hyems hoc anno prolixa fuit et asperrima; fames quoque et pestilentia magna in Alemannia, multique homines alii frigore, alii fame, aliique peste perierunt, etc.

MCCCLXVI H. episcopus Const. V virgines velavit, et stupam monialium suis beneficiis procuravit.

MCCCLXXVI. Anglici circa solodorum fines infestant.

MCCCLXXVIII. Urbanus apud Romam in papam eligitur, sed Clemens apud Avinionem.

MCCCLXXXVIII. obiit Rodulfus Abbas noster zu Stulingen, qui ecclesiam in Kussnach monialibus nostris procuravit, et ecclesiam in Kerns Monasterio nostro coëmit; et in ejus locum Waltherus Abbas eligitur, nominis hujus III.

MCCCCXX Waltherus IV. Mirer Abbas obiit; Huic Johannes Kupferschmid successit.

MCCCCXXI. Johannes Kupferschmid Abbas obiit; Cui Johannes Kummer successit. Hic initium desolationis Monasterii usque nunc fuit.

MCCCCXXX Johannes Kummer Abbas Abbatiam resignavit, et pro se Johannem de Wyde præpositum sancti Leodegarii in Lucerna substituit. Quô post annos duos ejus machinatione ejectô iterum Abbatiam arripuit et, ut prius, malè præfuit.

10 b. MCCCCXXXVII. Johannes Abbas dictus Kummer in Rinowe Abbas præficatur; Cui Rodulfus de Balneo Ducis successit.

MCCCCXLIII. Rodulfus Abbas resignavit; Cui Johannes dictus Strine successit. Hic vastator Monasterii unus non minimus fuit.

MCCCCLI. Johannes Abbas dictus Strine deponitur ob dilapidationem bonorum Monasterii, et Rodulfus restituitur. Qui post

x hebdomades episcopo resignavit; Cui Johannes dictus am Buel successit. Hic malè et negligentè præfuit. <sup>1)</sup>

MCCCCLVIII. Johannes dictus am Buel resignavit; Cui Henricus Porter successit. Hic pessimè præfuit. Plura bona vendidit, et totaliter alienavit. Debita non minuit, sed in intollerabile Monasterii detrimentum augmentavit. Ecclesiam in Stans juri laicorum concessit etc. Plura fecit, quæ enarrari longum esset, quæ Deus emendet!

MCCCCLXXVIII. Henricus Abbas dictus Porter a Confoederatis deponitur, et in Briens plebanus locatur; Cui Ulricus successit vir segnis et ad restituendum pene collapsum Monasterii statum admodum ineptus et inexpertus; sed quid futurum sit, posteri judicabunt. Anno domini 1484.

MCCCCLXXXVIII. Ulricus Abbas confirmatus et non consecratus obiit; Huic successit Nicolaus primò professus Monasterii Hornbacensis, qui nondum confirmatus resignavit. Inde electus est Joannes primò Hirsaugiensis monachus, post multas paupertates, exilia, et miserias ad regiminis culmen, in quo, dictu grave, non multum laudamenti promeruit; velle enim habens, posse ei defuit. Vidensque tam flebilem Monasterii liliosæ virginis desolationem, ac dilapidationem, omniumque bonorum devastationem, necnon omnia et singula subposita voluntati ac ordinationi sæcularium, et tam manifestam frivolamque deordinationem, prava dissimulatione incitatus, Deo æquissimo judici ac defensori se et Monasterium cum suis omnibus in orationum suarum sedulitate devotissimè commendavit.

Anno Incarnationis Domini nostri Jesu Christi 1546. die vicesimo nono Mensis Decembris, ex hujus deplorandi mundi hospitio sese recepit ad æternas cœli sedes (ubi immortalis cum altissimo quies.) Reverendissimus Dominus Barnabas Bürcky, hujus Monasterii Abbas, vir in vita summè clarus, doctrina insignis, artium liberalium et magister, et doctus ùvinarum scripturarum, ac orthodoxæ christianæ Theologiæ et Philosophiæ peritissimus professor, in docendo inde fatigatus declamator, ignaræ juventutis sollicitus instructor; memorabili sanctimonia vitæ, catholicæ fidei,

---

<sup>1)</sup> Frater erras hic, quia Henricus præponitur illi am Buell, ut habetur in sigillis et litteris ab eis sigillatis. (Neuere Hand.)



et castæ religionis conservator, omnium hæresum propugnator; pauperum liberalis elargitor et defensor; concordiæ et pacis amator; injuriarum et persecutionum patientissimus lator; ambitionis detestator, et doctorum virorum ornator ac promotor. Denique tam admirabili fuit sanctimonia vitæ, ut omnibus suæ ætatis hominibus esset admirationi et spectaculo. Qui pridie quàm ex vivis recederet, rapidissima paralisi attactus, animam suam (priùs omnibus rebus rite peractis, quæ ad salutem animæ suæ pertinebant præceptis,) individua Trinitati commendavit, ac omnes cœlicolos oravit, ut pro eo intercedant, ut vitam æternam consequatur. Ideoque cuncti mortales, qui æternam salutem et resurrectionis expectant diem, pro tali religiosissimo Reverendissimo Castissimo Doctissimo Sapientissimo viro intercedere debent, ut habeat vitam æternam. Vixit annis septuaginta tribus, et præfuit Monasterio annis quadraginta duobus. <sup>1)</sup> —

## 2.

### Die kleineren Engelberger-Annalen.

**Fol. 1 b.** Anno Domini millesimo centesimo vicesimo, sub Calixto papa II<sup>o</sup>. Kalendis Aprilis feria quinta, Conradus de Seldenburron miles fundavit Monasterium sanctæ Marie Montis Angelorum, quesitis prius pluribus locis, sed hic loco apto invento; succidit sylvam, destruxit lustra ferarum, prefecit Adelhelmum sanctum Abbatem secundum Regulam sancti Benedicti. Inde Monasterium subdidit immediate Romane Ecclesie, ac possessiones eidem auctoritate Imperali firmavit sub Henrico quarto, ut neque rex vel princeps vel dux, vel hæres vel potestas vel judex, ea violenter inquietaret; et dedit jus habendi baptismum etc. Inde Conradus fundator habitum Religionis suscepit ibidem sub Abbate præfato, factus omnium humilimus. Sed invidia Diaboli excitantur Monasterium depredantes in

<sup>1)</sup> Das Bildniß dieses frommen, gelehrten und unerschrockenen Abts hängt noch gegenwärtig im Archive.

bonis et rebus temporalibus; quamobrem Conradus ab Abbate pro recuperatione direptorum missus, à quodam scelerato simili Jude, palliante fraudem, secretè pro alloquio vocatus ac complexus nil metuens occiditur. Ipse tamen occisor ejus mox transfixione luit penam. Adihelmus abbas vivus claruit virtutibus, et mortuus miraculis. Anno Domini M. C. XXVI. obiit Conradus fundator occisus.

Anno Domini MCXXXI. Adihelmus primus Abbas montis Angelorum obiit. Huic successerunt tres AbAbbates Deo odibiles, Lutfridus, Welfo, Hesso ad breve tempus, qui indignè vixerunt, malè præfuerunt, quia subjectis non profuerunt, sed bona Monasterii dilapidaverunt; ideo depositi et expulsi fuerunt.

Inde præficitur huic Monasterio Abbas secundus Frowinus, vir doctissimus, sapientissimus, religiosissimus, qui libros fecit scribi, ut adhuc probari potest, et ipse sua doctrina quosdam edidit. Reliquias Sanctorum acquisivit, Muros extruxit, et regulariter cum fratribus vixit.

Anno Domini MCLXXVIII. Frowinus Abbas obiit. Cui Bertoldus vir religiosus successit, virgo prudens, quotidie celebrans; etiam in die obitus sui Missam celebravit. Hujus Monasterii fidelis dispensator et minister fuit; unde meruit divinis revelationibus venerari, etiam a fratre defuncto sibi grates reddente pro sua salvatione. Jtem divinitus sibi revelatum est, Fridericum imperatorem in Passagio terræ sanctæ juxta Tharsum Ciliciæ in flumine, dum balnearet, spasmo ipsum contrahente submersum etc.

Anno Domini MCLXXXVII. Bertoldus Abbas obiit. Cui Henricus successit, sub quo Monasterium igne combustum est. Sed ipse tamquam fidelis dispensator omnia in melius prout potuit restauravit, item turrinam cum campanis in ea, et crucem majorem argenteam deauratam, continentem LXXX partes reliquiarum sanctarum, et vineta in Burgundia scilicet in Bihel comparavit. <sup>4)</sup>

---

<sup>4)</sup> Sub Henrico Abbate successore Bertoldi, Henricus sacerdos de Buches ecclesiam sororum in honorem sancti Andreae construxit, et ibidem sepulturam sibi elegit; cui vineam in Crissiaco cum una scopossa pro XXX marcis emit. Jtem prædium in Altishoven III. libras solvens comparavit pro anniversario suo, ab utraque congregatione peragendo. Jtem fecit Abbatem hæredem omnium bonorum

Anno Domini MCCXXIII. Henricus Abbas obiit. Cui Henricus successit hujus nominis secundus.

Anno Domini MCCXXXI. Henricus Abbas obiit. Cui Wernherus successit.

Anno Domini MCCL Wernherus Abbas obiit. Cui Waltherus successit. Sub hoc Walthero, scil. Anno Domini MCCLIII., consecratum est monasterium sororum monialium à Domino Eberhardo episcopo Constantiensi cum duobus altaribus; principale altare in honore sancti Andreae Apostoli, et sancti Michaelis Archangeli, et sanctæ crucis; altare minus in honore sanctæ Katherinæ, et sanctæ Mariæ Magdalenæ; item eodem die altare sub campanario in honore apostolorum Petri et Pauli, quod peractum est Jdibus Junii in sabbato. Crastinâ verò Dominicâ velatæ sunt ab episcopo eodem XLII. virgines sanctimoniales.

- 2 a. Anno Domini MCCLXVII. Waltherus Abbas ab Ordinario et Fratribus propter suam negligentiam deponitur. <sup>1)</sup> Cui Waltherus hujus nominis secundus successit. Qui fidelis dispensator hujus Monasterii fuit, et Domino Eberhardo episcopo Constantiensi concedente, ecclesiam stanensem huic monasterio perpetualiter permansuram acquisivit. Anno Domini MCCLXXVI. Waltherus Abbas obiit. Cui Arnoldus successit vir totius prudentiæ, et utilissimus sui gregis gubernator. Anno Domini MCCLXXXIII. obiit Arnoldus Abbas. Cui Ulricus successit. Anno Domini MCCLXXXVIII. obiit Ulricus Abbas. Cui successit Rodulfus. Sub hoc, scilicet Anno Domini MCCCVI. conversione Pauli, a quodam monacho subdiacono ignis incautè portatus et incensus omnem ligneam structuram Oratorii cum campanis et ecclesiæ ornamentis consumpsit. Sed ipse tamquam alius fundator pene omnes structuram a fundamento restauravit, chorum ampliavit, et campanas melioravit, ac omnes officinas inferioris claustrum dilatando et meliorando destruxit et reparavit, necnon spiritualia et temporalia fideliter dispensavit.

---

suorum mobilium et iamobilium. Jtem dedit domum in cimiterio Buochs. Jtem extrema agens petiit suscipi ad monachatum, assignatis Abbati Henrico LXXX marcis argenti pro vineis comparandis in Tuanno prope Biehel; item dedit VIII. boves, XIII. vaccas, gregem equorum indomitorum, centum oves, porcos valentes XX talenta, et cætera omnia, quæ habuit.

<sup>1)</sup> Er lebt noch am 11 Augstm. 1275. (Geschftsd. VII. 164.)

Anno Domini MCCCXVII. obiit Rodulfus Abbas. Cui Waltherus hujus nominis tertius successit. Sub hoc, scilicet MCCCXXV Anno Domini in die prima septembris, velatæ sunt in Monasterio nostro CXL virgines, et Monasterium consecratum cum quinque altaribus, præsentem Domina Agnete regina Ungariæ, filia Domini Alberti regis Romanorum, sub expensis ejus cum pluribus beneficiis collatis, præsentem etiam populo multo cum personis honestis etc. Anno Domini MCCCXXXI. Waltherus Abbatiam resignavit. Cui eodem die successit Wilhelmus. Sub hoc, scilicet Anno Domini MCCCXL Petri et Pauli, combusta est domus nostra in Lucerna funditus cum pluribus aliis. Anno Domini MCCCXLV Dominicâ primâ Adventûs, velatæ sunt nonaginta virgines ab Archiepiscopo H. avercensis ecclesiæ.

Anno Domini MCCCXLVII. Wilhelmus sponte Abbatiam resignavit. Cui eodem die successit Henricus hujus nominis tertius. Sub hoc, scilicet Anno Domini MCCCXLVIII. inter nativitatem beatæ Mariæ et Epiphaniam Domini, obierunt sorores centum et sedecim, primo Katherina magistra, in medio Beatrix comitissa de Arberg quondam magistra, in fine Mechtildis de Wolfenschiessen magistra; item de nostris duo sacerdotes et quinque scolares. De sororibus una die fuerunt septem funera; item quadam die funera XVI. de subditis, et in hac valle manserunt ultra viginti domus sine habitatore.

Anno Domini MCCCLVIII. Henricus Abbatiam resignavit. Cui Nicolaus successit. Eodem Anno Wilhelmus quondam Abbas obiit die Cæciliæ.

Anno Domini MCCCLX crastino Bartholomæi Nicolaus Abbas obiit. Cui Rodulfus hujus nominis secundus successit. Sub hoc, scilicet Anno Domini MCCCLXII., Rudolfus Dux Austriæ ecclesiam in Kusunach monialibus donavit. Item domus nostra in Thurego comparatur et melioratur pro CLX lib. Item Anno Domini MCCCLXIII. Henricus episcopus Constantiensis velavit XXX moniales. Curia dicta Engi comparatur pro CCCCXXV lb. Item Anno Domini MCCCLXVI. Henricus episcopus V moniales velavit, et stupam monialibus suis beneficiis procuravit. Præscriptus Abbas Rodulfus dictus Stuelinger ecclesiam in Kerns huic Monasterio acquisivit, et ecclesiam in Kussenach monialibus nostris procuravit.

Anno Domini MCCCLXXXVIII. Rodulfus Abbas obiit. Cui Waltherus hujus nominis quartus dictus Myrer successit.

Anno Domini MCCCCXX Waltherus Abbas obiit feria III. post Martini. Cui Johannes Kupperschmit de sancto Blasio successit.

Anno Domini MCCCCXXI. Johannes Abbas Kal. Aprilis obiit infectus veneno per lotionem pedum in itinere de Constantia in Abbatem confirmatus. Huic Johannes dictus Kummer successit. Usque hunc Monasterium competenter se bene habuit, Cui ipse initium exitii usque modo irrecuperabilis per omnes successores Abbates dedit. Nam vineta in Bihel vendidit; item Anniversaria fratrum, item pecunias undequaque potuit collegit vendendô bona Monasterii, acquirendô moniales propter Præbendas emendas, ac alia multa et gravia damna intulit Monasterio. Jste Johannes Kummer de Ordine Johannitarum fuit, et jam presbyter Monasterium præsens intravit, homo versipellis et gloriæ inanis, qui cum Consilio Basileensi multum negotiari habuit, et ideo substantiam Monasterii extenuavit, nec sibi nec aliis profuit, sed omnibus obfuit.

*2b.* Præfatus Johannes Abbas dictus Kummer, habens nomen cum re. Cum per annos aliquot malè præfuisset, sentiens se deficere non proficere, quendam Johannem de Wida præpositum Monasterii Lucernensis subjecti Monasterio Morbacensi dolo circumvenit, ac pro se huic loco præfecit. Hic simplex et pius pater erat. Qui cum duobus annis vel citra præfuisset, prænotati Johannis Kummer machinatione dolosa cum confœderatis habitâ datis ducentis aureis Abbatia privatur; qui supplantatus bis et Abbatia caruit et Præposituram non habuit. Ipse tamen Johannes Kummer multum incommodus iterato abbatiam arripuit. Qua deinceps paucis annis damnose ut solitus erat administratâ, demum Abbatia in Renaugia præficitur. Quam sic dispensaverat, ut gratum duceret, quòd sana pelle evaserat. Indeque exul et miser in Constantia obiit. Jsti verò Johanni Kummer in præsentì Monasterio successit Rodulfus hujus nominis tertius de balneo Ducis, circa Annum Domini MCCCCXXXVII. antè vel post. Hic cum quasi octo vel citra annis præfuisset; ob insolentiam quorundam, quia pusillanimis erat, resignavit. Cui Johannes dictus Strine successit. Hic rerum Monasterii consumptor fuit. Plus in Lucerna et alibi, quam in Monasterio commoratus est. Sub illo, scilicet Anno Domini MCCCCXLVIII., combustum est Monasterium sororum per totum; sed per elemosinas



ac mendicitatem restauratum est Anno VI. Johannes Strine Abbas nocivus et incommodus culpâ sua deponitur, et ad plebanatum in Kusnach locatur. Pro quo Rodulfus, qui suprâ, restituitur. Qui cum decem hebdommades præfuisset, ob quorundam malignitatem episcopo abbatiam resignavit. Cui Johannes dictus am Buele successit. Hic similiter extirpator substantiæ Monasterii fuit. Circa Annum Domini MCCCCLI. cepit, et quasi septem annis præfuit, indeque resignavit Anno Domini MCCCCLVII.

Cui Henricus dictus Porter successit. Hic supra omnes male rexit, quia totô Monasterii corpore absumptô vix caudam reliquit. Mercaturas nocivas in bobus, caballis, et aliis multas commisit, debita auxit nec solvit; insuper censualia fecit; curtes plures vendidit et curias; multa bona alienavit; Præbendas onerosas Monasterio imposuit; pecunias undequaque potuit collegit, et sine profectu Monasterii immo defectu distribuit; et plura alia, quæ longum esset enarrari, mala commisit. Jgitur ob ejus negligentiam Confœderati ipsius Monasterii Advocati circa annum Domini MCCCC LXV sub specie tuitionis ac profectûs Monasterii se supposuerunt, ciphos argenteos cum pluribus poculis argenteis ac duobus calicibus vendiderunt, diversos procuratores vulgò Advocos dictos ordinaverunt, qui potius sua quam quæ sunt Monasterii quærentes parum profecerunt, immo quidam multum obfuerunt. Finetenus tamen Henricus Abbas deponitur, et ad plebanatum in Briens ponitur. Unde Ulricus de Beraa sumitur et Abbas constituitur anno Domini MCCCCLXXVIII., qui ut navicellam periclitantem suo remigio ad portum dirigat, usquemodo ineptus admodum apparet, cum sit ordinationis ejus annus sextus. Hic, ut Abbas esset, consentire noluit, nisi Confœderati Advocati Abbatiam omnino liberam secundum tenorem privilegiorum suorum redderent: quod et factum est; sed quia segnis et deses, ac sine cura erat, et quædam mala et diffortunia emerserunt, ideo Advocati plûs quam antea Monasterium suppeditarunt, et boves et alia vendiderunt. Attamen nichil memoriâ dignum egerunt, a qua supplantatione nondum respiravit. Quid verò profectûs vel defectus huic Monasterio futurum sit, sequaces notabunt. Anno Domini 1484 Mathie.



## U n b a n g.

---

**Viro clarissimo D. Fintano Stelnegger S. Eremiti  
Subpriori.**

**S. P.**

Litteras tuas, quibus me prolixè honorare dignatus es, cum voluptate legi. Etsi enim opinioni tuæ assentiri haud queam, eruditionem tamen illæ eximiam spirant, et facile me movissent, si unicum, primumque argumentum diluissent. Suspikor, brevem illam chronotaxin præfixam codici Engelbergensi, qui chronica antiqua continet, tibi nondum fuisse visam; aut enim nihil probat, aut probat sane, eundem illum *Frowinum*, qui erat Abbas Angelo-Montanus, fuisse alumnum Monasterii sancti Blasii. Quod si existimes, hoc ipsum argumentum nos esse satis firmum, quæro te, ut me cum tempore doceas.

Imprimis codicem illum membranaceum Engelbergensem Beato *Frowino* circa annum 1170 esse coævum, ex ipsomet demonstratur, ubi ad annum 1159. sequentia leguntur: <sup>1)</sup> „Dominus Adrianus III. „Papa obiit, quo defuncto factum est scisma inter Cardinales de „sede Apostolica. Major etenim et sanior pars elegerunt Rvolan- „dum cancellarium, vocatusque Alexander: altera vero pars cum „authoritate Imperatoris elegerunt Octavianum cardinalem, vocatus- „que est Victor; quo defuncto post quinque annos successit Pas- „calis, et eo defuncto post tres annos successit *Celistus*, qui modo „tenet locum regiminis, sed et Alexander adhuc sedet.“ (Fol. 8 b.)

---

<sup>1)</sup> Wir haben die in diesem Briefe citirten Stellen noch einmal genau nach dem Originale verbessert.

Finit autem character hujus chronici primus cum anno 1175, quo ipso anno uterque tam Alexander, quam Calistus de cathedra Petri decertabant. Obiit porro beatus *Frowinus* anno 1178 prout secunda manus ejusdem codicis pariter coeva ad eundem annum his verbis notat: „*Domnus Frowinus venerabilis Abbas noster II. decessit.*“ Jgitur memoratum chronicon quoad primam suam partem usque ad annum 1175. scriptum fuit eodem tempore, quo beatus *Frowinus* Abbas Angelo-Montanus floruit. Ulterius exaratum fuisse hunc codicem in eodem Monasterio, non solum constat ex verbis mox allatis, quibus B. *Frowinum* continuator chronici vocat Abbatem illius loci, cum scribit: „*Venerabilis Abbas noster,*“ sed etiam ex aliis textibus præcedentibus, præsertim ad annum 1120, ubi ista leguntur: „*Eodem anno incepta est hec cella ab Abbate Adilhelmo.*“ (8 a.) Adhelmus, seu Adelhelmus primus fuit abbas Engelbergensis præscripto anno. Jgitur per particulam demonstrativam hec cella significatur Engelberga.

Restat, ut indagemus, an scriptor iste fuerit monachus *S. Blasii*? Id probari posse videtur ex plurimis locis, ubi adducit Monumenta et Abbates *S. Blasii*, licet raro nomen ipsum exprimat, prout etiam nomen ipsum Engelbergæ reticuit. Ad annum 1092: „*Dedicata est ecclesia s. Nicolai a Gebehardo Constantiensi Episcopo.*“ Hæc ecclesia adhuc existit in atrio Monasterii *s. Blasii*, prout etiam verum est, quod ad eundem annum memoratur: „*Inceptio noui Monasterii S. Blasii.*“ Ad annum 1068: (7 b.) „*Wernherus II. Abbas obiit.*“ Certe obiit hoc anno Wernerus Abbas *s. Blasii*, sicut etiam de sequentibus constat. Anno 1125: „*Domnus Rvosteinus Abbas obiit;*“ anno 1141: „*Domnus Bertholdus venerabilis abbas feliciter expiravit.*“ Jam vero scriptor hujus chronici quoties abbates aliorum monasteriorum recenset, addit ipsa monasteriorum nomina; prout anno 1007: „*Berno vir doctissimus Augie Abbas ordinatur;*“ anno 1042: Bern abbas *augie* obiit.“ Anno 1057: „*Fridericus, qui et Stephanus Abbas Cassinensis prefuit.*“ Anno 1091: „*Willehelmus Hirsaugiensis Abbas obiit.*“ Anno 1211: *Domnus Nicolaus abbas interlacensis pie memorie obiit.*“

Videamus nunc, utrum, quando de Monasterio Einsidlensi scribit, nomen ipsius instar Monasteriorum, quorum scriptor alumnus non fuerat, exprimat. Ad annum 960: „*Gregorius primus Abbas celle s. Meginradi preficitur.*“ Signum igitur satis manifestum est, hunc chronographum de Monasterio Eremitarum scribere, quasi de alieno, de *s. Blasii* Monasterio autem quasi de proprio.

Jd ipsum amplius deducitur ex documentis et chartis præcipuis illius ævi, quæ adhuc extant in Monasterio *s. Blasii*, et a scriptore hujus chronici notantur, quin tamen nomen *s. Blasii* exprimat; unde de hoc monasterio tanquam suo alias satis noto scripsisse videtur. Sic ad annum 963: „*Hoc anno datum est edictum Ottonis anno regni ejus XXVII. etc. Actum Verone Non. Jun.*“ Non moror hic mendum, quod jam circa annum 1170. huic diplomati irrepserat. Anno 1125. „*Privilegium Heinrici Imperatoris. Datum Argentine. V. Kal. Jan.*“ etc. Anno 1126: „*Datum est edictum a Lothario III. regni ejus primo anno.*“ Anno 1140: „*Datum est edictum a Chvonnado III. regni ejus anno I.*“ cui chartæ adscriptus est *Frowinus* Monachus *s. Blasii* una cum Bertholdo suo Abbate. Cum itaque ista diplomata ad Monasterium *s. Blasii* pertineant, testantur utique, scriptorem ipsum ex eodem Monasterio extitisse; nihil enim simile ab eo de aliis Monasteriis memoratur.

*Mabillonii* auctoritas maximi facienda, ubi is rem penitus discussit; in reliquis ipsum a vero aliquando aberrare certum est. Fuit *Mabillon* in *s. Eremita*; audivit ibi, *Frowinum* ex *Eremita Engelbergam* translatum fuisse; monumenta ipsius ibidem inspexit, et plurimi æstimavit; mirum igitur videri non potest, ipsum pro *Einsidlensi* habuisse; aliter fortasse scripturus, si sæpe laudatum chronicon *Engelbergense* ponderasset. Certe imitatione dignus amor veritatis in *Mabillonio*, qui plures sanctos ordini nostro ab aliis assertos cessit, et quæ subinde male informatus scripserat, retractavit.

Cæterum optarem nosse ætatem *Necrologii Einsidlensis*, quæ totam quæstionem decidere posset per verba: „*Obiit beatæ memo-*

*riæ Frowinus noster Monachus, et Abbas Engelbergensis* anno 1178.“ Clarissimus P. Wulpertz merito vapulat, tam indigna de libro B. *Frowini* scribens, cui titulus: „*de libero arbitrio*.“ Cel-  
sissimus s. Blasii præter morem suum scripsisse videtur, Doceri ex annalibus Engelbergensibus, *actisque Congregationis Helveticæ*, eundem librum sæpe ab Engelbergensibus ex Eremo repetitum fuisse. Ut enim illud prius facile crediderim, in actis tamen congregationis, quæ originalia ad manus mihi sunt, nihil legitur.

Parce mihi Vir æstimatissime! quod ad primum tuum assultum non statim cedam; et locum da petitioni meæ etc. *relinquuntur alia a præcedentibus diversa.*

Dabam in Monasterio Rhenaugiensi die 10. Martii anno 1779.

***P. Mauritius Van der Meer.***

